



esse demum praeclare, si propositio, quae maior dici solet, suis et debitis terminis circumscripta fuit. Ita enim vage et indeterminate facta est haecce Socinianorum enunciatio, ut recte quis inde concludere possit, ad fucum potius in religione faciendum adsumta haecce Socinianorum *disparata* fuisse, quam ad veritatem explicandam. e) Si ergo sunt substantiae duae disparatae, aut subsunt generi *oppositorum*, aut tantum generi *diuersorum* subiectae adsumuntur. Vellem, ut illud quidam Socinianorum defenderet, et, quamquam satis incommode dictum hoc foret, f) disparata quoque opposita nominaret: tunc enim non tam fundamentum, quam adplicatio illius, siue, ut disputantes arte loquuntur, adsumtio negatur. Tantum abest, ut vllus vquam ex nostris, contra quos tamen pugnant Sociniani, Theologis, Deum et hominem opposita vocauerit, ut quoque hominem et Deum, vereantur, ad partes oppositorum referre, qui, quod a multis factum est, Deum et hominem, crediderunt, generi eidem atque vni subesse. Neque Sociniani, quorum erat tamen, id satis adhuc probare potuerunt. *Stricte* autem et *proprie*, ut logices periti aiunt, opposita sumuntur, si, Deum atque hominem, contra Socinia-

e) IO. PAVL. FELWINGERI
*Conclusio primae Normae, Religio-
 nis Photiniano-Zwickerianae, quae
 est: DISPARATUM DE DISPARATO
 PRAEDICARI NON POTEST apo-
 logetice instituta.* §. 12. p. 14.

f) vid. ANDR. KESLERI *Meta-
 physicae Photinianaes partis generalis
 Examen.* Sect. III. Princ. XXIII.
 pag. 340. vbi illi commemorantur
 qui disparata opposita vocarunt;
 sed etiam refelluntur.